



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Qvi ... Illas Omnes Complectitvr Historias, Qvæ Post Secvndam Sex
Tomorvm Editionem ...

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 ZV 1269

Sermo B. Ioannis Damascenide adoratione sanctarum Imaginum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77432)

Verum quia non omnibus hoc contigit, ut literas norint, ac lectioni operam impendant: idcirco patribus visum est, ut refrendam quamprimum memoria causa, haec tanquam praecleara quadam trophaea, in imaginibus pingerentur. Siquidem per se ipse visus venit, ut passionem Domini animo minimè versantes, cõspecta Christi crucifixi imagine, ad salutiferam passionis memoriam redeamus, ac prostrati non materiam, sed eam cuius imago effingitur adoremus: quæ ad modum videlicet nec Evangelici codicis materiam, nec crucis materiam adoramus, verum id, quod per ea exprimitur. Quid enim alioqui discriminis est inter Crucem eam quæ Domini imaginem expressam non habet, & eam quæ habet? Quod etiam de Dei matre sentiendum est. Etenim is honor, quem ei adhibemus, ad eam qui carnem ex ea assumpsit, refertur: Item quæ egregia sanctorum virorum facinora, quæ nos ad animi magnitudinem, & zelum, virtutisque eorum imitationem, ac Dei gloriam extimulat. Nam, ut diximus, honor ille quo probos conseruos afficimus, nostræ erga communem Dominum benevolentia argumentum est: atque imaginis honor ad exemplar transit. Est autem hæc traditio ex earum numero, quæ scriptura verbis minimè expressæ sunt, quæ ad Orientem conuersi adoramus, & ea qua Crucem adoramus, aliæque complures his similes. Quin historia quoque proditum est, cum Abagarus Edessa Rex eo nomine pictorem misisset, ut Domini imaginem exprimeret, neque id pictor ob splendorem ex ipsius vultu manantem consequi potuisset, Dominum ipsum diuinæ suæ ac viuificæ faciei pallium admouisse, imaginemque suam ei impressisse, sicque illud ad Abagarum, ut ipsius cupiditati satisfaceret, misisset. Quod autem Apostoli quamplurima, nullo sacra scriptura loco prodita nobis tradiderint, his verbis testatur ille gentium Apostolus Paulus, State igitur fratres, & tenete traditiones nostras, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Et ad Corinthios scribens, Laudo vos, fratres, quod per omnia mei memores estis: & sicut tradidi vobis, traditiones, tenetis.

Cur inductus imaginum usus.

Honor sanctis habitus ad Deum redit.

Imaginum cultum ex traditione habemus.

Dominus Iesus imaginem suam Abagaro mittit.

2. Theff. 2.

1. Cor. 11.

DE S. AVSTREMONIO EPISCOPO

ARVERNO, EX GREGORII TVRONENSIS

De gloria Confessorum Cap 30.



ER sanctum autem Austremonium, qui & ipse a Romanis Episcopis cum Gariano beatissimo, & reliquis, quos memorauimus, est directus, primum Auerna ciuitas verbum salutis accepit, eoque predicante, Saluatorem mundi, Redemptoremque omnium Christum Dei filium credere cepit. Huius autem sepulcrum apud Isidorem vicum habetur, cui cruda rusticitas, licet sciens quis in eo quiesceret, nullum tamẽ exhibebat honoris cultum. Post longaverò annorum curricula, Cantinus, qui ipsius Aruernæ vrbis modo prælatus est, in diaconatu suo Ecclesiam vici illius rexit. Igitur dum nocte quadam in lectulo cellulae suæ, quæ huic basilicæ adhaerebat, decumberet, audiuit psallentium resonantes voces, & surgens vidit templum magno splendore lumine, & obtupestactus adspicit intrinsecus (erat enim cellula illa in superiore contra fenestras templi) & ecce circa tumulum multitudo albatorem tenentium cereos, & psallentium. Quod diutissime cernens, postmodum discessit, & statim facto manè iussit tumulum cancello vallari, & palliolis nitenibus obclari, præcepit reuerentiam loco illi impendi. Ex hoc tempore oratio super tumulum funditur, & auxilia Antistitis impetrantur. Hæc ab ipsius Episcopi ore audiui.

Notabitur. Nota & hunc Episcopum missum fuisse in Gallias ad alys à Romanis Episcopis.

Visto Cantini Episcopi.

Honorando Dei exhibetur.

VITA